

filio, sui per omnia simillimo, et successori dignissimo, lampadem soli tradidit. Et nobis, hoc etiam post mortem Venerabile Caput, Desiderium sui multo acerbius excitarent, nisi TVAE virtutis, doctrinae, pietatis, iustitiae, prudentiae et humanitatis laude iactura illa refarcita fuisset. TV igitur Clarissimi patris vestigiis insistens, hisce Senatus Solennibus anniuersariis prima vice Solus in Consulatu Primatum obtines, quam TIBI dignitatem nisi gratuler, et debitaе obseruantiae testimonio TIBI oblato, hunc diem celebrem, iniurius in manes patrios, quos nullo non tempore venerabor et inmemor benevolentiae, qua me semper complexus es, forem.

Propterea,

## VIRI AMPLISSIMI,

**L**aetitia affectuque VESTRAM beneuolentiam, VESTRAQVE merita colente, plenus, hoc die VOBIS sacro, VOS accedo, quem auspiciatissimum VOBIS gratulor, pro populi, quem regitis, et pro salute VESTRA, vota et publica et priuata faciens. Deum ter optimum terque maximum rogo, VOS saluos et incolumes seruet, ornet, sospitet, familias VESTRAS custodiat, et ex voto VOBIS, vt eueniant omnia, efficiat. Etiam atque etiam valete, PATRONI AESTVMATISSIMI.  
Zuiccauiæ, d. xxix. Septembr. M.D.CCLIII.

